



The following document is part of a Dulwich Society project to digitise, transcribe and translate the Dulwich Manorial Court Rolls. They begin in 1333 and continue, with some breaks, to 1908.

In this case, the document is evidence of the existence of a lost Roll, rather than a Roll itself.

For more details of the original court rolls and other documents, please go to <https://www.dulwichsociety.com/courtrolls/>

Text in **red**, apart from modern notes by the transcriber, indicates text missing from, or entirely illegible in, the original document.

Text in various shades of **grey** indicates text which, in the original document, is to a greater or lesser extent difficult to decipher.

Text in **green** indicates letters missed out of the original text, usually in commonly found abbreviations.

Otherwise, all contemporaneous text is in **black**, except for presumed later additions which are indicated in **brown** or **blue**.

N.B. This Roll is not extant, but the transaction below is comprised in Muniment 387 and must have been included in a Roll of this date.

Manerium de
Dulwyche

Surreya

¶ Ad Curiam Baronis Manerii predicti ibidem tentam die Sabati scilicet quinto die Decembris Anno regni domine nostre Elizabeth dei gracia Anglie Francie & Hibernie Regine fidei defensoris &c Tricesimo tercio per Johannem Adye generosum Senescallum ibidem irrotulat^{ur} & continet^{ur} sic Manerium de Dulwyche ¶ alias prout patet ... ad ultimam Curiam Baronis Manerii predicti tentam hic die Sabati scilicet quartodecimo die Novembris ultimo preterito [i.e. on 14 November 1590] Continet^{ur} sic Manerium de Dulwyche ¶ ad hanc Curiam venit Johannes Hunt per Rolandum Deakon Attornatum suum Et querit^{ur} de Elizeo Parrye & Johanne Lewys de placito terre videlicet de libero tenemento suo scilicet de uno cottagio & uno gardino cum pertinenciis in Dulwyche infra parochiam de Camberwell infra iurisdictionem huius Curie tentis de domino predicti Manerii de Dulwyche predicta per Copiam rotulorum Curie Manerii predicti ad voluntatem domini secundum Consuetudinem Manerii illius Et protestat^{ur} prosequi querelam suam predictam coram prefato Senescallo manerii predicti in eadem Curia hic versus prefatum Elizeum Parrye & Johannem Lewys in forma & natura brevis domine Regine de assisa nove disseisine ad communem legem secundum Consuetudinem Manerii predicti dicendo quod predictus Elizeus & Johannes Lewys iniuste & sine iudicio disseisiverunt eum de libero tenemento suo predicto scilicet de predictis Cottagio & gardino cum pertinenciis in Dulwyche predicta infra predictam parochiam de Camberwell predicta infra iurisdictionem huius Curie &c Et secundum Consuetudinem Manerii illius invenit plegios de prosequi querelam suam predictam in forma & natura predicta coram prefato Senescallo in eadem Curia hic scilicet Johannem Doo & Ricardum Roo Et petit processum pro eo superinde fieri versus prefatum Elizeum Parrye & Johannem Lewys secundum Consuetudinem Manerii predicti Ideo secundum consuetudinem Manerii illius preceptum est Salomoni Serjante ballivo Manerii predicti ac ministro huius Curie quod faciat tenementum illud reseisire de Cattallis que in ipso capta fuerunt Et ipsum tenementum cum Cattallis esse in pace usque proximam Curiam Baronis Manerii predicti hic scilicet apud Dulwyche predictam in le Corte howse hic die Sabati scilicet quinto die decembris proximo futuro secundum Consuetudinem Manerii predicti tenendam Et interim facere xij^{cim} liberos & legales homines tenentes Customarios Manerii predicti de visu de Dulwyche predicta tenementum illud cum pertinenciis videre Et nomina eorum numbriari facere Et summonere eos per bonos summoniciones quod fuit Coram prefato Senescallo ad predictam proximam Curiam Baronis Manerii predicti hic scilicet apud Dulwyche predictam in le Corte howse hic predicto die Sabati scilicet eodem quinto die decembris supradicto

secundum Consuetudinem Manerii predicti tenendam paratam inde facere recognicionem &c Et ponere per vadium &c Et quod tunc habeat hic summa nomina plegiorum Et inde preceptum &c idem dies datus est prefato Johanni Hunt hic &c. Et modo hic scilicet ad istam eandem Curiam predictam die Sabati videlicet eodem quinto die decembris supradicto apud Dulwyche predictam in le Court howse hic secundum consuetudinem Manerii predicti tentam coram prefato Senescallo in eadem Curia hic venerunt tam predictus Johannes Hunt per predictum Rolandum Deakon Attornatum suum quam prefati Elizeus & Johannes Lewes in propriis personis suis Et prefatus Ballivus Manerii predicti Ac minister huius Curie hic retornat preceptum predictum sibi inde ad predictam ultimam Curiam directum in omnibus servitiis & executionibus scilicet quod predicti Elizeus & Johannes Lewys Attachiati sunt & uterque eorum Attachiatus est per unum cacabum vocatum A keatle ad valenciam duodecim denariorum essendi modo hic ad istam eandem Curiam ad respondendum prefato Johanni Hunt de predicto placito Et quod summoneri fecit Thomam Croft Thomam Claye Nicholaum Foster Thomam Warde Johannem Garrett Johannem Beedle Walterum Bone Simonem Payne Johannem Bone Johannem Mason Willelmum Dalton & Robertum Badger xij^{cem} probos & legales homines tenentes Manerii predicti de visu de Dulwyche predictae essendi modo hic ad istam eandem Curiam paratos facere recognicionem prefatam querele Assise predictae Et eos predictum tenementum cum pertinentiis videre & nomina eorum numbriari fecit Et quod quilibet recognitorum predictorum summonitus est per Johannem Denn & Ricardum Fenne Johannem Layne & Ricardum Payne probos &c Qui quidem Johannes Den & Ricardus Fenn Johannes Layne & Ricardus Payne manucapti sunt & quilibet eorum manucaptus est per Johannem Maunte & Ricardum Faunt Johannem Harte & Ricardum Smarte prout per preceptum predictum sibi mandatum fuit &c Et super hoc idem Johannes Hunt ponit loco suo predictum Rolandum Deakon Attornatum suum versus prefatum Elizeum & Johannem Lewys de predicto placito Assise predictae Et predicta querela predictae Assise nove disseisine secundum Consuetudinem Manerii predicti venit recognita si predictus Elizeus & Johannes Lewys iniuste & sine iudicio disseisiverunt predictum Johannem Hunt de libero tenemento suo predicto scilicet de predicto cottagio & gardino cum pertinentiis in Dulwyche predicta infra parochiam de Camberwell predicta infra iurisdiccione[m] huius Curie infra triginta Annos iam ultimo elapsos &c Et unde idem Johannes Hunt per predictum Rolandum Deakon Attornatum suum queritur quod predictus Elizeus & Johannes Lewes disseisiverunt eum de predictis cottagio & gardino cum pertinentiis in Dulwyche predicta infra parochiam de Camberwell predicta infra iurisdiccione[m] huius Curie &c Et predictus Elizeus & Johannes Lewys in propriis personis suis defendunt vim & iniuriam quando &c Et petunt Auditum predictae querele Assise predictae Et eis legitur &c petunt etiam Auditum narrationis predictae et eis legitur &c Quibus lectis Auditis & per ipsos intellectis iidem Elizeus & Johannes Lewys dicunt quod ipsi nullam iniuriam seu disseisinam prefato Johanni Hunt de tenementis predictis cum

pertinenciis fecerunt Et de hoc ipso ponere se super homagium huius Curie loco recognicionis Assise Ad communem legem secundum consuetudinem Manerii predicti Et predictus Johannes Hunt similiter &c Ideo capiatur inter eos predicta querela Assise predicte &c Et prefata recognicio predicte querela Assise predicte unde supra fit mencio scilicet Thomas Crofte Thomas Claye Nicholaus Foster Thomas Warde Johannes Garrett Johannes Beedle Walterus Bone Simo Payne Johannes Bone Johannes Mason Willelmus Dalton & Robertus Badger exactiin eadem Curia hic scilicet venire Qui ad veritatem de premissis dicendi ac ad triandum exitum predictum inter partes predictas superius ut prefertur per homagium huius Curie iuncti electi triacti & iurati dicunt super eorum sacramentum quod predictus Elizeus & Johannes Lewys non disseisiverunt prefatum Johannem Hunt de libero tenemento suo predicto videlicet de predicto Cottagio & gardino cum pertinenciis in visu eorum positis & in querela predicta superius specialiter prout idem Johannes Hunt superius versus eos queritur &c Ideo consideratum est per Curiam modo hic quod predictus Johannes Hunt nihil capiat per querelam suam predictam sed sit in misericordia pro falso clameo suo inde &c consideratum est etiam per eandem Curiam modo hic quod predictus Elizeus & Johannes Lewys ----- & custagia sua occont--- predicta versus predictum Johannem Hunt ad viginti solidos ----- eisdem Elizeo & Johanni Lewys ad requisicionem suam per Curiam modo hic Adiudicat recuperare debeant &c Et quod secundum consuetudinem Manerii predicti habeant inde execucionem per preciam de levare fac--- de bonis & cattallis ipsius Johannis Hunt infra &c Et idem Johannes Hunt inde in misericordia &c

Executum & irrotulatum per me

Johannem Adye Senescallum